Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

cepernt hospitium. Aliquanto post de consilio peritorum et religiosorum, maxime autem Reverendi Patris Guyardi Cameracensis Episcopi, subjectioni et protectioni praefatae Abbatissae (Salsinensi) se quamdiu viverent, subdiderunt; ne absque superiore, sed solo propriae voluntatis arbitrio, vivere dicerentur. --- Sthae furor populi Namurensis adeo contra domum de Salesinnes exarserat, ut firmiter asserent, se illam incendio vastaturos. -- Dispersis igitur conventu de Salesinnes, venerabilis Abbatissa Christi Virginis Juliana solicitudinem gerens, deduxit eam ad domum Cantoris de Fossis, viri vitae laudabilis et honestae. Ibi in reclusorio reliquum vitae peregit. Quae decidit in lectum extremae infirmitatis suae, capitque caro infirma de die in diem deficere. --- Ad cujus exitum praefata venerabilis Abbatissa de Salesinnes Domina Hymana cum aliquibus monialibus, sed et laudabilis Cantor Fossensis cum quibusdam aliis personis, praesente semper sorore Ermentrude convenerant. --- Igitur feria sexta, hora diei nona, sancta illa anima carne soluta est. -- Sequenti vero die, sibiel Sabbato, sacrificio in Ecclesia Fossensi pro defuncta oblato, corpus Virginis curui impositum a fideli amico suo Nonno Goberto, qui demandatus advenerat, ad domum Villariensem deducitur, sicut Christi Virgo, dum adhuc viveret, ordinaret. Siquidem cum ante suum obitum rogaretur a venerabili Abbatissa, ut in domo sua de Salesinnes suam eligeret sepulturam, hoc facere renuerit, propter illa, quae illi domui noverat eventura: sed deprecata est eam, ut post transitum suum demandaret Nonno Goberto, ut ad domum Villariensem corpus suum procuraret adduci, in qua volebat omnino sepeliri. Fuerat autem dictus Nonnus Gobertus olim miles in seculo potentissimus (nempe Comes Sperimontis in Lotharingia) valde locuples et famosus, de nobilioribus regni Franciae oriundus; sed jam divina vocatione in seculi fuga nobilior. -- Die autem Dominico -- Missae solennis celebratis, omnibusque rite peractis, corpus virgineum inter sanctiora domus corpora traditum est sepulturae. -- Caput IX. Miracula post obitum etc.

Nihil in hac B. Juliana vita memoratur de ejus, quae Regula, quam profitebatur. Cistercienses quidem ea tanquam sua, merito gloriantur; quia et plures annos inter moniales Cistercienses transegit, et post obitum nonnisi in Cisterciensis Ordinis monasterio voluit sepeliri. Sed quaestio famosissima illa est, an in domo Montis Cornelii eundem Ordinem Cisterciensem, aut qualem demum professa fuerit. Pro Cisterciensi faciunt Sacrarium Leodiense, ubi legitur: In monte S. Cornelii, B. Joannes Prior ordinis Cisterciensis. Historia Monasterii Septimiani in

de Joanne Priore montis Cornelii, qui hortatu B. Julianae Officium de venerabili Sacramento composuerat,